

propone». Idem censet Manulius, dum in eos invehitur qui praeceptorum onere eo desperationis adducunt scholasticos, «ut et scholas et litteras sü-giant, et studia, quae amare nondum possunt, maxime oderint»¹; idem Ludovicus Vives, qui grammaticos superstiliosè anxios objurgat, usumque arti anteponit²; idem Facciolati, qui «ubi puer, inquit, nominum ac verborum declinationes memoriae mandavit, paucasque illas in universum regulas probe tenet, quibus tamquam cardinibus tota vertitur latina lingua; quid est cur statim non ad classicum scriptorem ducatur, quem sine intermissione verset, memoriae tradat, habeatque veluti unum ex familia, quicum magistri ope et auxilio familiarissime loquatur ac vivat?»³ Denique afferendus est etiam notissimus ille Ciceronis locus⁴: «Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus, est enim magni laboris, quem plerique fugimus, quamplurimum scribere. Stylus optimus et praestantissimus dicendi effector et magister.»

Ex his multisque aliis quae poterant in medium proferri, facile patet, totam antiquiorum methodum praelectione et imitatione auctorum contineri: quod quidem, quum omnes quos diximus praeclarissimi viri aliique quamplurimi⁵ profitentur, tum vero nostra RATIO STUDIORUM longissime ante omnes. Deleres ex hoc libro ea quae praelectionem scriptionemque spectant, nihil profecto reliquum esset, quod aut praeclaras sapientium laudes mereretur, aut quidquam ad excolendos litteris adolescentes emolumentum posset afferre. Et primo quidem illud semper maximi esse momenti in ea ducitur, ut non frigido emortuoque scripti libri silentio, sed viva praeceptoris atque animata voce in scholis pueri doceantur. Nihil ibi antiquius, quam ut grammaticae rhetoricaeque praecepta, necnon et classici auctores a magistro praelegantur, neque alia discipulo intelligendi textus via suppetat, quam ipsa praeceptoris vox: ita enim mirum quantum excitetur, quantum acuatur discentium attentio, qua aviditate doctrina a magistro tradita capiatur. Accedit imperata praelectionis repetitio statim post factam praelectionem exigenda, qua quidem repetitione prius capta doctrina altius in memoria defigitur. Horis praeterea privato studio tributis, semel aut bis fit a discipulo ejusdem repetitae praelectionis alia repetitio,

¹ Praefatio ad Institutiones.

² De ratione studii puerilis. Epistola 2.

³ Oratio 1. Latina lingua non ex grammaticorum libris comparanda.

⁴ De Or. 4. 33.

⁵ Lege P. JUVENCIUM. De ratione discendi et docendi. Pars 4. cap. 4. art. 2. §. 2 et 3. — SIMÓN ABRIL. Instrucción acerca de la orden que debe seguir en sus estudios el que de nuevo comienza de aprender lengua latina. — Apuntamientos de cómo se deben formar las doctrinas, y la manera de enseñarlas para reducir las á su antigua entereza. Bibliot. Rivad. tom. 65.

in schola tandem ante novam praelectionem iteranda. Adde sabbatinam repetitionem; adde compositionem, in qua et explicata praecepta exercentur, et praelectae auctoris partes proponantur imitandae; adde continuam memoriae exercitationem, publicas privatasque concertationes, sexcentaque alia media, quae et ipsa varietate tollunt fastidium, et crebra jugique rei ejusdem tractatione doctrinam universam in animis auditorum penitus defigunt.

Forma vero instituendae praelectionis, quod ad praecepta spectat, ad hoc reducitur, ut praecepti sensus aperiatur, subjunctisque classicorum auctorum exemplis tradita doctrina corroboretur. Quod vero pertinet ad auctorem, accipe ex ipsa STUDIORUM RATIONE in his, quae pro infima grammaticae classe praecipuntur: «Praelectionis auctorum haec forma sit: primo totam continenter pronuntiet, ejusque argumentum brevissime patrio sermone perstringat. Secundo periodum ad verbum vulgi sermone interpretetur. Tertio a capite recurrens structuram indicet, et periodum retexens, quae verba quos casus regant, ostendat; pleraque ad explicatas grammaticae leges perpendat; Latinae linguae observationem unam aut alteram, sed quam facillimam, afferat; metaphoras exemplis rerum notissimarum demonstret; unam denique aut alteram phrasim excerptat, quas solas cum argumento dictabit. Quarto scriptoris iterum verba vernaculo sermone decurrat»¹.

Quae omnia si juxta regulas cujusque scholae exigantur, ita sperarunt Patres, qui optimum illum librum conscripserunt, brevissime profecturos scholasticos, ut ab his perpetuum loquendi latine usum severissime requirant. Quod quidem, auctoribus Perpiniano et Alvaro, vel ab ipsa nominum inflexione quodammodo tentandum est, «ut etiamsi nulla didicerunt adhuc praecepta loquendi, tamen, ut aves nonnullas facere videmus, imitatione jam assuescant latine loqui»²; «et prius discant bene latine loqui, quam causas bene loquendi»³.

At exercenda est, inquit recentiores, mens et ratio puerorum. Optime inquam. Exercemus praeclaris auctoribus intelligendis et imitandis⁴, quaestionibus de grammatica, de praelectione, de scriptione, de omnibus proponendis, perpetua tandem decertantium aemulatione. Et tamen certum est, mentem scientiis praesertim esse postea informandam, tenendumque quod praecipit Quintilianus⁵: «Initia litterarum sola memoria constant, quae

¹ Reg. prof. Inf. Gramm. 6.

² P. PERPINIANUS. De rat. lib. inst. cap. 3.

³ P. ALVARUS n. 28.

⁴ Cf. La Question des Humanités par JULES VEREST S. J. cap. 2.

⁵ Inst. Orat. 4. 1.

non modo jam est in parvis, sed tum etiam tenacissima est. Id imprimis cavere oportet, ne studia qui amare nondum potest oderit, et amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. Lusus hic sit, et rogetur, et laudetur, et numquam non fecisse se gaudeat; aliquando ipso nolente doceatur alius, cui invidet; contendat interim, et saepius vincere se putet, et praemiis etiam quae capit illa aetas evocetur.»

Quid ergo, inquires, spectatissima recentiorum grammaticorum scientia contemnenda est aut saltem omittenda? Minime vero. Praeclaram operam litteris navant illi quidem, quam nemo, qui omnino litteratus esse velit, sine jactura omiserit. Verum aliud est, scribit P. Alvarus n. 5, rationem viamque tradere qua latinam linguam discas, aliud grammaticae quaestiones explicare nodosque difficiles expedire. Hic et articulis licet utare, et aliis quae grammaticorum quidem sunt propria, sed a latini sermonis cultu et elegantia longe alienissima: illinc omnia quae potius impedimento quam emolumento esse possunt, omnino, quoad ejus fieri possit, removenda sunt. Optima sunt illa sane, sed a prima linguae cognitione valde diversa¹: sicut toto caelo inter se differunt historica narratio, et rerum gestarum ad philosophicas regulas explicatio; aut geographica terrae descriptio, et causarum nexu vicissitudinesque, quibus a primaeva mundi origine ad hodiernam conformationem tandem pervenerit. Jam vero nemo erit tam omni sensu destitutus, ut geographiam aut historiam pueros docturus, ab historica, ut ajunt, crisi aut a geologicis legibus capiat initium. Praeclare ergo RATIO STUDIORUM quaecumque ad verborum originem et linguarum comparisonem pertinent, ad supremos Grammaticos vel potius ad Humaniores revocavit². Nec aliud isti ipsi recentiores faciunt, quum gallicam linguam, aut germanicam, aut anglicam edocendam assumunt: hic causas eorum quae docent nihil curant, sed perpetua legendi, loquendi, scribendique exercitatione discipulos continent, unde methodi Ollendorff, Ahn, Robertson et hujus generis aliae ortum duxerunt.

Illud etiam vitium hodiernas scholas fere omnes invasit, quod latinam linguam vernaculis cancellis ita constringunt, ut latinae quidem voces, si modo latinae sunt, barbarum quid sonare videantur. Grammaticae loquuntur, ut scribit Quintilianus³, latine minime. Quod iis fere accidit, qui tempus omne insumunt paucis quibusdam vernaculis loquutionibus latine efferendis, iisdemque mille modis inflectendis, qui vix adeunt probatos lati-

¹ Cf. BOPP. Grammaire comparée des langues Indo-Européennes. Paris. 1885, vol. III. Introduction par M. MICHEL BRÉAL pag. V.

² Reg. prof. Supr. Gram. 5. et Reg. prof. Hum. 5.

³ Inst. Orat. 1. 6.

nitatis auctores, eosdemque numquam imitantur. Habet lingua latina propriam quamdam verborum conjunctionem, «quam qui non observat, ait Cornelius Valerius¹, nec delectum habet ullum, is barbarica phrasi omnem pervertit latinitatem». Recte P. Alvarus²: «Illud etiam atque etiam eos rogatos velim, qui hunc libellum sunt lecturi, ut ne aegre ferant, si Syntaxeos praecepta pluribus interdum illustrata exemplis offenderint: neque enim casu aut temere, sed consulto et cogitato id factum est. Nam quum Grammaticae praeceptiones aridae, jejunae et insulsae ipsae per se sint, nisi veterum scriptorum nitore et elegantia condiantur, brevi domestica barbarie latinae linguae rudes infuscabunt»³.

II. QUID PRAESTITUM SIT IN HAC EDITIONE

Reliquum est ut de praesenti P. Emmanuelis editione pauca dicamus. Quantum licuit, P. Alvari ordinem et verba religiose retinimus; nonnulla tamen more et exemplo Tursellini et Paria, praesertim vero de sententia illorum Patrum qui RATIONEM STUDIORUM Societatis Jesu conscripserunt, censuimus immutanda.

IN ANALOGIA.—Primum igitur librum, qui est de Analogia, in duas partes distribuimus, quarum prima, ut Patres illi praecipiant, tradit breves et perspicuas singularum partium orationis descriptiones, simplices substantivorum, adjectivorum et pronominum declinationes, verbum sum et quatuor conjugationes verborum. «His vero expositis, inquirunt⁴, et memoriae mandatis, statim ad concordantias veniendum esset, et a concordantiis ad Syntaxim pedetentim per quotidianam thematum compositionem: haec enim est quae longo usu debet latinam linguam pueris reddere familiarem. Toto vero tempore, quod concordantiis et scribendis thematibus impenditur, simul exercentur pueri in intelligendis et discendis declinationibus ac conjugationibus, quae supra fuerant omissae ex Emmanuele. Hae namque colligendae forent in unum et collocandae post quatuor simplices verborum conjugationes, ut post has certo quodam diei tempore exponantur et memo-

¹ In fine Syntaxeos.

² n. 220.

³ Multa etiam de magistro, de descriptione, de concertatione dicenda erant, nisi praefationis angustiis impediremur: quae qui cupiat, adeat probatos antiquitatis auctores, maxime vero RATIONEM STUDIORUM, eaque quasi commentaria quae hujus libri auctores nobis prodiderunt (Mon. Germ. paed. Rat. Stud. vol. 2), adeat P. PERPINIANUM (De rat. lib. inst.) P. JUVENCUM (De ratione disc. et doc.), P. SACCHINUM (Paraenesis ad magistros scholarum inferiorum), aliosque quamplurimos.

⁴ Mon. Germ. paed. Rat. Stud. vol. II. Lege, si lubet, integrum caput III p. 155 «Quantum referat optima nostros uti grammatica quaeve ejusmodi videatur»; itemque inferius p. 183 «Fines atque exercitationes scholae Grammaticae et Humanitatis».

riter reddantur.» Igitur post quatuor verborum conjugationes addidimus breve et facile compendium Syntaxeos, exceptiones vero et alia quae ommissa fuerant, in alteram partem coniecimus. Huic autem libro subjiciendas censuimus breves appendices minutissimis litterarum formis excusas, in quibus, praeter alia, nominum et verborum inflexio ad recentiorum grammaticorum placita nonnihil explicatur. Etsi enim a praxi quam intendimus est hoc alienissimum, tamen necessarium erit pluribus, quibus est in publicis lyceis periculum subeundum, et ab aliis requiretur, qui optimam censent esse grammaticam, quae utramque methodum complectatur: «Una prudente alianza del método dogmático, que reduce á fórmulas precisas lo que permite el uso culto ó literario, y del histórico que puestos los ojos en el desenvolvimiento de la lengua, explica cada hecho por sus antecedentes comprobados, debe ser hoy por hoy el ideal de una buena gramática»¹. Quae tamen ita sunt disposita, ut omitti sine ullo incommodo possint; nec unquam docenda sunt, quin omnia quae ad praxim spectant discipuli ad unquam noverint. Quod si ita fiat, RATIONI STUDIORUM erit apprime consonum, nedum ipsi adversetur. Multa praeterea, eaque summe utilia, in primi libri commentariis ab auctore pertractata, maxime de significatione et usu modorum et temporum, quod tironum captum excedant, in cap. 12-15 Syntaxeos relegavimus, atque commodiore ordine exposuimus.

IN SYNTAXI.—In altero etiam libro consiliis Patrum RATIONIS STUDIORUM standum iudicavimus, qui omnium verborum constructionem volunt «divisam in ordines activorum, passivorum, neutrorum, communium, deponentium, impersonalium. Activa quoque, addunt, in suas classes bene latina et perspicua oratione subdividuntur, quas ponit Emmanuel. In qualibet vero classe ponatur mediocris aliquis et selectus sane numerus verborum, quae essent ex solo Emmanuele desumenda, quia eorum constructiones et significationes fidelius quam caeteri observavit; ponantur vero seorsim verba singulara cum suo vulgari significato, quia singularia et simpliciter tradita puerorum ingenii aptiora sunt, et inhaerent altius: discunt enim more psittacorum, potius ex impressione sensuum quam ex acrimonia iudicii haec et illa conferentis aut connectentis.» «Et quoniam imbecillitati puerilis ingenii sic consulendum est, ut quum paulo magis confirmatum fuerit, non defraudetur perfectione doctrinae, non ab re fuerit ad finem primae classis activorum (idem iudicium sit de aliis classibus tum activorum, tum neutrorum et aliorum) post simplicem verborum ad eam classem spectantium enumerationem, subjicere tamquam appendicis loco ex Emmanuele observa-

¹ CUERVO. Gramática de BELLO. Notas. Advertencia.

tiones quasdam utiliores de significato seu constructione cujusque verbi seorsim»¹. Quod quidem ita factum est, ut singulis eorum catalogorum verbis brevissimum etiam exemplum adjecerimus; haec enim exempla licet memoriter non discantur, exercitationi et concertationi erunt utilissima.

Jam ut doctrinae partitionem teneas, quae P. Alvarus appendicibus distinxit, ea nos formis litterarum magnitudine diversis expressimus. Igitur quae grandibus characteribus continentur ad mediam scholam pertinent, ad supremam vero quae mediis formis sunt excusa; quae vero minutissimis typis praecipuntur, ea quidem cum aliis praeceptis memoriae mandanda non sunt, sed notanda, quum aut in praelectione aut in descriptione ibi tradita doctrina occurrat.

MODI QUO PACTO EXPLICANDI.—Capita autem 12-15 in quibus temporum modorumque usus explicatur, summa industria sunt tradenda, difficiliora enim sunt, quam ut ea pueri plane intelligere possint; eorumque doctrina ex iis est quae ad usum maxime pertinent; qua de causa eam P. Alvarus sparsim per commentarios indicavit, vix aliqua conclusit praeceptis. Nos tamen eam in unum locum contractam paulo uberius exposuimus, quod licet praecepta nihil valeant sine exercitatione, tamen si perpetuae auctorum lectioni et diuturno usui accesserit quidam ordo conformatioque doctrinae, et clarius percipiuntur quae didicimus, et animo altius inhaerent. Hic ergo in primis opus est illa praeceptione: «pueri prius discant bene latine loqui quam causas bene loquendi.» Quapropter Magister si sapiet, quum unum aliquem modorum usum saepius in praelectione invenerit, eumque discipuli et intellexerint et longo usu et imitatione versaverint; tunc praeceptum explanabit, iteratisque exemplis diuturnaue exercitatione in puerorum mentibus curabit defigendum. Nec propositionum nomina superstitione exigat, nec omnes exceptiones primo velit inculcare: rem ipsam primum quaerit, deinde vero quum praecipua doctrinae capita pueri jam teneant, juvabit integrum caput percurrere, eaque mandare memoriae quae emolumento esse poterunt; quae vero praxi officiant potius quam prosint, aut certe praeceptorum opem non requirant, prorsus omittantur. Denique exempla probatorum auctorum, quum in tota Syntaxi pluris quam praecepta faciendae sunt, tum in his abstrusioribus quam maxime: nam praecepta non solum jejuna per se sunt, sed etiam brevi lapsu temporis delentur; exempla vero et ad imitandum ipsa invitant, et semel optime percepta vix unquam e memoria excidunt. Nonnumquam etiam peregrina quaedam nomina repe-

¹ Mon. Ger. paed. Rat. Stud. vol. II. p. 157.

ries, quae quia eorum commodo inducta sunt, qui haec scire tenentur, recte feceris si ea, quum inoportuna videantur, omiseris.

IN PROSODIA.—Atque idem fere tenendum de capitibus 8 et 10 libri tertii, ubi ars metrica et accentuum ratio subtilius enucleantur. Aliqua sunt quae ars omnino requirit, ne, aut manca sit aut in errorem inducat; quae tamen ipsa discentium commodo plurimum adversantur, si traduntur sine ratione ac methodo.

Illud jam reliquum est praeceptores adhortemur, ad explicandas Alvari institutiones ut juxta eam methodum, ad quam ipse doctrinam accommodavit, se conferant. Vosque, ingenui adolescentes, quorum maxime gratia molestiae hoc, quodcumque fuit, ac laboris libentissime pertulimus, alacritate in studiis vestra, atque ardore quodam amoris id efficiatis, ut nostri nos laboris ac diligentiae numquam non modo poeniteat, sed ad majora aliquando in commodum utilitatemque vestram enitamur.

DIVISIO GRAMMATICAE

PRO TRIBUS DISCIPULORUM CLASSIBUS SIVE SCHOLIS

		Communes declinationes nominum.
		Communes conjugationes verborum.
Classis infima.	Ordo inferior.	Praecepta generalia de constructione.
		Genera nominum. (Ea vero sunt in hac editione: Libri 1. ⁱ Pars 1. ^a et Partis 2. ^{ae} caput 3. ^{um}).
	Ordo superior.	Quae supersunt ex declinationibus et conjugationibus.
		Praeterita et supina.
		Introductio ad Syntaxim. (Libri 1. ⁱ Pars 2. ^a et aliqua ex Libro 2. ^o).
Classis media.		Quae faciliora sunt ex Syntaxi, excepta figurata constructione.
		(Libri 2. ⁱ praecepta magnis litterarum formis expressa).
Classis suprema.		Quae supersunt ex Syntaxi naturali.
		Syntaxis figurata.
		Ars metrica. (Libri 2. ⁱ quae typis secundi ordinis traduntur et Liber 3. ^{us}).

N. B. 4.^o «In unaquaque classe ea semper quae in schola proxime inferiore tradita sunt recurrantur.» (Reg. Comm. 42).

N. B. 2.^o Quae infimis litterarum formis traduntur in tota hac editione, ea memoriae mandanda non sunt continenter cum aliis; sed pro necessitate atque opportunitate, sive dum discuntur praecepta, sive dum auctor explicatur, breviter indicentur. (Cf. Praef. n. II).

N. B. 3.^o Numeri quadratis uncinis conclusi [] numeros expriment Commentariorum ipsius P. Alvari juxta editionem quam anno 1859 Parisiis excudebant Adrianus Le Clere et Soc.; qui vero rotundis continentur (), ad paragraphos hujus editionis referendi sunt.